

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De lexicis veterum praesertim Graecorum, ad Photii critica, schediasma

**Boeckler, Johann Heinrich
Labersum, Matthias**

Argentorati, 1655

[urn:nbn:de:bsz:31-131194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-131194)



42 A 1932, 15

RH

Nr. 3: Copinger 2152

WR 283

Nr. 4: WR 284

Nr. 5: WR 285

De
LEXICIS
VETERUM PRAESERTIM
GRÆCORUM,

AD
PHOTII CRITICA,
ἡ εὐδοκίμα.

Descripsit &
DEO AVSPICE
In Inchyta Argentoratensi Academia

[ANNE] PRÆSIDE
IO. HENRICO BOECLERO
HISTORIARUM PROFESSO-
RE ORDINARIO,

Commilitonibus publice examinan-
dum proposuit

MATTHIAS LABERSUM,
SPIRENSIS.

Marth
Mensis Februarii Die 15.

ARGENTORATI,

Exprimebat PHILIPPUS HENRICUS NICOLAI.

ANNO clō lōc LV.


10.
105.

12.

101

15

20



Ver



tere. Len
propona
tione ab
re est: q
tur autem
prodiere
do vulga
primis an
idea; sic
finitur i
rimus.
Romas. C
rum leru
vel rebu
relearu
tes disc
atus est
asp



DE
LEXICIS
Veterum Græcorum, ex Photio
potissimum, *ῥηδίασμα*



N Bibliotheca sua, vt aliarum literarum & doctrinarum, ita librorum, qui de verborum significationibus agunt (Græci *Lexica* vocant) pereruditam notitiam consignauit *Photius*.

Eam annotationem, si quis, tanti Scriptoris iudicium sequendo, partiſi velit, ista fere *Lexicorum discrimina* inueniet: vt *alia* singulas voces sibi proponant; *alia* commatis, colis, & multifaria rerum cognitione abundant. *Quibusdam* vnum stili vocumque genus, curæ est: quædam plura miscent aut comparant. Distinguuntur autem varie vocabula; vt, *nationibus*; ita Attica, Ionica, prodierint *Lexica*: *Scripturâ*; sic Poëtæ, Historici, consuetudo vulgaris, sua habent vocabula: *formâ*; quasi quis de peregrinis aut barbaris itemque dubiis, scriberet: *charactere* siue *idea*; sic pura, grauis, ciuilis oratio suas sibi voces optat: *Auſtoribus*; ita *Platonicas voces*, & decem Rhetorum *Lexicon* nouimus. In omnibus autem eiusmodi *Lexicis* spectatur *Auſtoritas, Copia, Ordo*. Illi testimonia probatissimorum Scriptorum seruiunt; *ista*, pro instituto modum habet: *hic*, vel literis vel rebus disponitur. *Literarum* seriem plerique sequuntur, vel earum quæ inchoant tantum vocabula, vel syllabas priores discriminant. *Rerum* ordo in *Pollucis Onomastico* obseruatus est.

Explicatio vel concisa & breuis additur, vel vberior & *φλογο*

λογοικωτέα : quā nonnulli ad modum perfecti commentarii
progressi sunt, sicut mox noscetur.

Primum est ex iis, quæ nominatim comendat Photius, Hel-
ladii Lexicon; quod inter ea, quæ cognouerit, maximū fuisse ait.
Nec uocibus tantum constabat, sed aliquando elegantibus oratio-
nis membris, minoribus maioribus adornabatur. Verum Græca ele-
gantius describunt: ἡ λέξιων δὲ μόνων ἢ συναγωγῆ, ἀλλ' ἐνίοτε καὶ κομ-
ματικῶν τινῶν χροιστάτων λόγων, καὶ εἰς κόλπε πολλὰ καὶ σύνδεσσι ἀπαρξί-
μένων. Ordo Alphabeticus, quoad literas incipientes uerba. Est
Lexicon pedestris sermonis non ligati. Testimonia tamen non
tantum oratorum, sed & probatorum Poëtarum adducuntur.
quatenus scilicet auctoritas & usus linguæ spectatur, non
quatenus Poëta quædam ponunt, extra carmen non habitura
locum. Qualia Diogenianum ait collegisse. Vtile ait opus,
Scribentibus, & πολυμάθειαν, γαμιν ἐruditionem amantibus.

Sequitur Lexicon τῆς καθαρῆς ἰδέας, Pura Idea; nullo au-
ctoris nomine expresso. καθαρὸς puritas (qua uoce ne ii quidē
abstinere potuerunt, qui, ut parum Latinā notarunt) pars est
σαφηνείας. Σαφηνείαν γὰρ τῷ λόγῳ ποιεῖ ἐνκείνεια, καὶ καθαρότης, in-
quit Hermogenes; qui primo de Ideis prolixè καθαρότης explicat.
Cumque duplex sit Perspicuitas rerum & uerborum (notan-
te Quintiliano Instit. orat. 8, 2.) ad hanc posteriorem καθαρότης re-
fertur. In hoc genere Lysias olim præcellebat, καθαρὸς τὴν ἑρ-
μηνείαν πάντῃ, ut Dionysius Halicarnassensis de eo loquitur; pleniore
mox elogio testatus, hac præcipua eloquentia laude, quæ puram fa-
cit orationem, neminem in posterum repertum, qui Lysiam superaret;
imo, excepto Isocrate (qui et ipse purissimus) neminem, qui imitari posset.
Sed Græca dulcius leguntur: καὶ τὸ τοῦ μὲν δὴ τὸ μὲν ὅσπερ ἐστὶ
πρῶτον καὶ κριεώτερον ἐν λόγοις, λέγει δὲ, τὸ καθαρῆς τὴν διάλεκτον, ἢ οὐκ
τῶν μεταγενεστέρων αὐτὸν ἴσως ἐβάλετο, ἀλλ' ἔδδ' ἐμιμήσασθαι πολλοὶ δύνα-
μιν ἔχον, ὅτι μὴ μόνον Ἰσοκράτης. καθαρῶτατος δὴ τῶν ἄλλων, μετὰ γὰρ
Λυσίαν, ἐν τοῖς ὀνόμασιν ἔτος ἐμοὶ γὰρ δοκεῖ γενέσθαι ὁ ἀνὴρ. Huius ergo
ideæ siue formæ orationis, qui studiosus sit, eum Photius ait
Lexico, quod laudauit, rectissime usurum.

Inde ponit Λεξικὸν σεμνῆς ἰδέας, Grauis stili: mole itidem ma-
gnam, ut priora; utile futurum iis, qui sublimi orationis grauitate dele-
ctantur; τοῖς εἰς μέγαν καὶ ὄγκον ἐπαίρειν τὰς λόγους ἐν τῷ συγγράφῃ
ἔδειξεν

Ἰδὲ αὖτε. Σεμνότης siue gravitas est pars eorum, quæ efficiunt magnitudinem, amplitudinem, maiestatem orationis, ἀξίωμα τῆς λόγου καὶ μέγεθος. Hermogenes sex huius generis partes habet: σεμνότητα, παρρησιολογίαν, σαφότητα, λαμπρότητα, ἀκμήν, σφοδρότητα. De quibus ordine singulis pertractat. In primis autem quæ ad χρῆσιν τῆς σεμνότητος pertinent, eruditissima subtilitate persecutus est Dionysius Longinus, in aureo περὶ τῆς ὕψους libello.

2. de Ideis.

Succedit λεξικὸν τῆς πολιτικῆς λόγου, Lexicon Politici siue Civilis sermonis. Quis autem λόγος πολιτικός, habendus sit, præ ceteris, ut solet accuratissime Hermogenes explicavit; ex omnium idearum mixta beneque contemperata ratione eum formans; distinguensque; tum quatenus in se, ut talis, spectatur; aut comparatione præstantiæ, siue denominatione certi Auctoris describitur: tum, quatenus vel in deliberando, vel in actione forensi; vel in panegyrico genere locum habet. Fuisse autem ingens opus Lexici huius, Photius asserit, atque hoc eologio profequitur: αὐτὴ ἡ πραγματεία πλήθει μὲν ἐστὶ πολλή, κατὰ τὴν ἀσθενεῖαν δὲ χρησιμώτατη, καὶ ῥᾶσιν δὲ εἰς ἀντίληψιν, εἴ τις ἄλλη. Andreas Schottus vertit: Utilissimum (opus) si quod aliud, ad præclare rem suam agendam, & ex quo facillime obiectiones suppetant. Unde colligitur, delectum apparatusque rerum singularem verborum explicationi adhibitum fuisse. Imo requiritur in sequentibus, ut antiquos Scriptores iam versaueris, qui velit hoc Lexico feliciter uti; in quo non discere primum verba, sed eligendo σημασιολογίας denotare oporteat.

Memoratur hinc Pollionis Lexicon: cui plurimas inefse Poëticas voces, ait Criticus. Notitia huius Scriptoris talis extat apud Suidam in Diodoro, qui filius eius fuit: Διόδωρος Οὐάλεριος Ἐπικληθεὶς, φιλόσοφος, μαθητὴς Τηλεκλέους, ἀλεξανδρεὺς. Τῆς Πολίωνος, τῆς φιλοσοφίας, τῆς γὰρ ἑαυτοῦ τὴν ἄττικὴν λέξιν. Diodorus Valerius cognomento, Philosophus, discipulus Teleclis, Alexandrinus: filius Pollionis Philosophi, qui scripsit Atticam dictionem. Fuerit ergo hoc Lexicon Atticarum dictionum, quale infra Photius laudat: nisi quod hic plurima Poëtica fuerint admixta, pauciora tamen quam in Diogeniani Lexico.

Sed Diodori illius mox ipse Photius facit mentionem Triā coniungens Lexica ἐ Decem Oratoribus facta, Iuliani, Phili-
lostrati

Isstrati Tyrri, & Diodori. Quia autem illi X Oratores erant Athenienses, hinc diligenter in Iuliani Lexico reperiebantur annotata, quæ ad res Atticas, & mores Atticos pertinebant. Diadorum autem & Iulianum, alterum ab altero descripsisse putat.

Cod. 151.

Interiecta deinde breui descriptione, *Lexici Platoniarum vocum*, τῶν παρὰ Πλάτωνι λέξεων, auctore Timao: commendat

Cod. 152.

Aelii Dionysii Halicarnassæi Dictionum Atticarum libros, Ἀττικῶν ὀνομάτων λόγος. Laudantur in hoc λέξεις ἐπιχρειαζόμενα, & τὰ ἰδιοτρόπως λεγόμενα apud Athenienses: tum testimonia, quibus confirmantur. Huius auctoritate Eustathius sæpe vititur in Scholiis Homericis; vt & Pausania.

Cod. 153.

Cuius Lexicon itidem ad Atticos Scriptores spectat. Vnde suadet Photius, vt ex Aelii Dionysii & Pausania Lexicis vnum concinnetur.

Cod. 154. &
155.

Idem consilium repetit mox, vbi Boëthii vocum Platoniarum collectanea, συναγωγή Πλατωνικῶν λέξεων; & alterum eiusdem opusculum περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι ἀπορριμμένων λέξεων de dubiis apud Platonem vocibus annotat, Timeique libello coniungi iubet, vt fiat opus Platonis Lectoris utile.

Cod. 156.

Putandus est & Dorotheus vtilem fuisse laborem, cum περὶ ἑξῆς εἰρημένων λέξεων, de vocibus externorum more vsurpatis librum scripsit.

Cod. 157.

Subsequitur *Μαριδος Ἀττικιστῆς*, Maridus Atticista, solo nomine hic designatus. Dicitur & Maris Atticista. Andreas Schottus in margine annotat: Extrare fertur in Vaticana Pontificis Bibliotheca. At Vir Illustris Claudius Salmasius, qui, vt ex sermonibus eius non semel deprehendi, diligenter hunc Scriptorem legerat, in Commentario de Hellenistica, ita notat: Maris Atticista, quem se legisse in Bibliotheca sua testatur Photius, & qui hodie extat in multis Bibliothecis Gallicis & Anglicanis, in tota illa συλλογῇ, nihil frequentius notauit quàm differentiam nominum Atticorum & ἑλληνικῶν.

Cod. 158.

Ex iis ergo, quæ hætenus ex Photio commemorata sunt, Lexicis, primum hoc est, quod extat, quamquam nondum typis exscriptum. Ex sequenti autem Phrynichi Arabii magno σοφιστικῆς παρασκευῆς s. Apparatus Oratorii opere, paruum Epitomen reliquã habemus Petri Nunnesei cura editam. siue potius a
lud

liud opusculū hoc est. sicut ex Suida intelligere licet. Institutū
 scriptoris in maiori illo opere paulo fusius explicat Photius. in
 qua descriptione notatu inprimis digna est lex illa. quā ipse si-
 bi in scribēdo Phrynichus posuit. ἀντὶς ὃ διακείνεται φησι τὰς συν-
 ειληγμένας αὐτῶ φωνὰς τῶν τρέπον. τὰς μὲν γὰρ αὐτῶν ῥήτορον ἀ-
 ποδίδομαι, τὰς δὲ τοῖς συγγραφεῦσι, τὰς δὲ συνείας ἐφαρμύζειν, αἷας δὲ καὶ
 εἰς τὰς σιωπτικὰς ὑπάρχειν λαλιὰς, ἢ καὶ εἰς ἐρωτικὰς ἀκρίβειαι τρέπες.
 Collectas à se voces ad hunc modum se aiebat discernere, vt quasdam ea-
 rum Oratoribus, alias Historicis, quasdam familiari consuetudini tribuat:
 nonnullas autem conuictis proprias, aut amatorii rebus opportunas notet.
 Idem ex Auctoribus præcipue commendabat Platonem, Demo-
 sthenem, Aeschinē, inde Thucydidem, Xenophontem, Critiam Antisthenē,
 Aristophanem, Aeschylum, Sophoclem, Euripidem. Bene, quod in e-
 iusmodi opere, demonstrant, quorum potissimum auctorita-
 te Græci sermonis gloria staret.

Ceterum ex illis antiquorum Lexicis, quæ hodie super-
 sunt, singulari eruditione Pollucis Onomasticon X. libris ad Com-
 m. dum Casarem, præcellit. cuius egregiam editionem, anno hu-
 i. sæculi VIII Wolfgangus Seberus Typis W. cheliani dedit. Suidas
 ait, esse συναγωγὴν τῶν διαφόρων κατὰ τὰ αὐτῶ λεγόμενων, collectionem
 eorum, quæ diuerse de eodem dicuntur. Ipse ita argumentum & prof. lib. 2.
 propositum operis designat: μνήμει δὲ ὅσα τε συνώνυμα ὡς ὑπαλο-
 λάττειν δύνασθαι, καὶ εἰ ἐκάστῃ ἀνδραβείη. πεφίλοτιμῆται γὰρ ὁ πῶτος
 εἰς πλῆθος, ὅπόσον εἰς ἀλλῆς ἐκλογὴν. ostendit synonyma, quomodo per-
 mutari possint, & quibus singula efferrī soleant. Neque autem tantum
 copia studuimus, quantum delectus venustati. Auctores secutus est prof. lib. 2.
 τὰς τῆν ἀκριβῆ φωνῶν ἔχοντας, tersi accuratique sermonis vsum habentes;
 tum qui rerum experientia cognitionem adepti essent. Testimonii tum
 demum vtitur, si pauiores ita locuti sunt, aut si dubia occurrunt
 vocabula. Quædam autem iudicando, quædam indicando po. prof. lib. 3.
 luit. Verbisque aliquando formulam adiecit. Non autem prof. lib. 6.
 sufficiebat tractasse multos, soluta ligataque oratione præ-
 stantes Scriptores, sed oportebat etiam quærere, συντάξεως ἡν prof. lib. 7.
 μάτι, καὶ τὸ ἐν τοῖς ἀνομοίοις ἴμοιον, quendam dispositionis habitum, & in
 dissimilibus similitudinem. Hic enim ordo tædium operi detrahit, prof. lib. 9.
 lectoremque ad sequentia quodam desiderio trahit. Deniq;
 non ex veteribus tantum collegit verba, sed ex ipsis rerum for-
 miis. Tan- prof. l. 10.

mis. Tanta autem cura atque dexteritate absoluit hoc opus
vt vere posset prædicare, neminem Græcorum ante se τοσούτου, ἢ ἐν
τοσούτοις reperisse.

Hesychius & ipse nobile reliquit Lexicon, quod Bo-
nan. Vulcanius Græcæ linguæ thesaurum vocat in annot. in Calli-
mach. hymn. Diana. An sit ille, cuius alia opera Suidas comme-
morat, merito dubitatur. Multa è scripturis sacris & interpre-
tibus earum suo Lexico admiscuit. In quo non pauca sunt,
quæ manum Medicam desiderant.

Harpocratonis Lexicon è X. Rhetoribus edidit nobis in
Gallia Maussacus. is de quo fabulam Galli circumferunt, quod
Græcæ linguæ studiosus & peritus, tandem eam plane vsque
ad ignorantiam oblitus sit. Athenæo æqualem putat Ger-
Io. Vosius de Philologia cap. 5. §. 17. ita vt alter alterum exciperit.
Suidas, Alexandrinum vocat. Apud eum, alius Harpocraton Ar-
gius memoratur, qui scripserit λέξεις Πλάτωνος ἐν βιβλίοις δυοῖν,
Platonicas voces, duobus libris: Harpocraton Aelius, Sophista, πρὸ τῶν
δονόντων τοῖς ἐπιτοπῶν ἠγνοῦσθαι, de iis, quæ Rhetoribus ignorata viden-
tur. Quorum nihil hodie superest.

Suidas quoque contexit Lexicon magnum, ante an-
nos quingentos amplius, sicut putat Casaubonus, aut sexcentos,
vt Andreas Schottus autumat. Auctores ex quibus sumsit no-
minantur: Eudemus Rhetor, ἑσπεὶ λέξεων, Helladius, Eugeni-
us, Zosimus Gazæus, Cocilius Siciliensis, Longinus Cassius, Lupercus Berytius,
Iustinus Iulius Sophista, Pacatus, Pamphilus, Polio Alexandrinus, de quo
supra. Multis historiis abundat hoc opus: quas excerptit
Hieron. Wolfius, & Latine seorsum edidit. De toto opere in
Latinum conuerso emendatoque præclare meritus est Aemi-
lius Portus Francisci filius.

Etymologici Magni Auctor itidem multa de Historiis in-
ferit, cuius editione doctissimus Fridericus Sylburgius rem litera-
riam ornauit.

Cyrilli libellum de differentiis vocum, Erasmus Schmidius edi-
dit, cum erudita dissertatione de pronuntiatione linguæ
Græcæ.

Glossas, siue Glossaria vtriusque linguæ, Græcolatina &
Latinograeca, inter quæ & Philoxenum, ediderat Henricus Stephanus.
Itera-

7.
Iteravit postea editionem, pluraque Glossaria, & libellos argumenti affinis in vnum opus coegit *Bonaventura Vulcanius*, hoc titulo: *Thesaurus vtriusque lingua.*

Renascentibus literis, in Italia *Varinus Phaurinus Nucerinus* Episcopus magnum & memorabile Lexicon Graecum scripsit: in quo plurimae fabulae, historiae, proverbia, verba & res exposita commemorataque, atque etiam demonstrata & explicata reperiuntur, vt *Ioachimus Camerarius* in Praefatione merito praedicat. Latine haecenus nemo conuertit.

Anno superioris saeculi XXIX, *Gulielmus Budaeus* Vir Illustris, Commentarios Graecae linguae edidit; in eruditi Lexici specimenibus habendos, vt arbitror; si quis cetera (partem enim huius curae complexus est) ad eum modum elaborasset. Consilium suum ita ipse exposuit: *Quoniam usus scribentium est multiplex, ego qua in mentem mihi venient, in hos commentarios quam potero explicatissime referam, & ad iuuenum captum quam appositisimam & ita tamen, vt si iam forte prouectiores eos legerint, nonnulla inuenturi sint (nisi fallor) ob qua nec omnem operam luisse se dicent, nec nos in rebus translatis tantum laborum exhaustisse.*

Nominandus hinc est *Thesaurus lingua Graecae Stephanicus*; & non sine dispendio operis factum compendium *Scapulae*. Neque tamen nulla fuit causa, cur postea *Robertus Constantini* Lexicon, non paucis placeret.

Cetera, quid attinet referre, quae singulis operibus destinantur, *Lexica Homericæ, Pindaricæ, Hesiodicæ*? Noui quoque *Tefamenti* Lexicon, *Pafor*; & accuratius, *Lud. Lucius*, edidit.

In Hebraismo Biblico, multum laboris infuserunt *Lexicon Pagnini, Schindleri, Auenarii*, & accuratius *Buxtorffii*, cui *Arca Noe Marin.* addi debet. In Rabbinico quoque Hebraismo incomparabile est *Lexicon Buxtorffianum, Talm. Rabbin. Chaldaicum*. In Arabicis, *Golii* nuperum opus praecellit. Neque fraudari meritò laude debet *Syriacum Trostii Lexicon*.

Sed nos ista attingendo, excedimus limites. De Graecis enim Lexicis constitueramus dicere. Si tamen ad Latina etiam obiter liceat respicere, ea quidem, quae in *Veteribus Grammaticis & Isidoro & Glossis*, huc spectantia continentur, iam supra verbo tetigimus. De cetero certum est, Graecis longe melioribus

bus Lexicis siue antiquis siue recentioribus nos instructos esse, quam Latinis. *Perotti cornucopia*, doctioribus monumentis accensetur. De *Calepino* nihil dicam, qui à tenuibus initiis, & vitiosis etiam annotationibus, noui subinde editoris cura in magnū volumen processit. Qui fruges ignorant, iis glandes quoq; sapiunt, inter quos forte reponas licet, qui credunt, *Pasleratium*, doctissimum virum, aliquid operæ criticæ contulisse, sicut *Bibliopola* sui quæstus causa, præscribere ausi sunt.

Iam *Thesaurus Latinae Linguae Roberti Stephani*, & *Forum Romanum Calii Secundi Curionis* multum laboris in vasto opere præferunt. Quibus tamen merito anteponas *Basiense Lexicon*, cuius prior tomus *Ciceroniana Nizolii* auget; posterior *Lud. Lucii* operâ aliorum auctorum vocabula, erudito sane & eleganti proposito, exhibet. In *Fabri Thesauro* plus doctrinæ est: cui copiam, decus, limam, promittit singularis industria & doctrina *Cl. Buchneri*, qui ex opusculo opus dabit. *Roberti* quoque *Constantini supplementum Linguae Latinae* extat.

Philologicum Lexicon Martini; *Philosophica Goclenii* & *Cl. Michaelii*, ad scopum peculiarem respiciunt. Sicut & illa certis materiis destinantur: quæ *Caroli Stephani Dictionarium Hist. Geogr. Poëticum*; *Ortelii Nomenclator Geographicus*; *Glandorpii Onomasticon Histor. Roman.* complectuntur. Exquisitiore cura *Francisci Martii Grapaldi Lexicon de partibus ædium*, confectum est. Iam *Theologici Lexici* eruditum specimen *Clauis Flacii* habet; nisi malis designationem locorum communium appellare. *Iuridicorum Verborum significationes*, *Barnabas Brissonius*, egregio commentario profecutus est. ne de iis dicam, qui suis additionibus, opus, merito etiam separatim conseruandum, inseruerunt.

Nolo nunc referre, qui literarum Alphabeti ordinem secuti, in vicinis, sed alio tamen nomine æstimandis operibus occupantur. Quid? quod *Lexico* etiam *Latino-barbaro* caremus. quale ex *Glossario Spelmanni*, ex *Glossario Wafsi ad Mattheum Parisiensem*, ex *Vossii Latino-barbaris*, ex iis, quæ in *Goldasti Antiquitatibus Alemannicis*, habentur; ex *Scriecko*, *Goropio Becano*, *Lindenbrogio*, & similibus *Scriptoribus*, tum ex diligenti monumentorum æui sequioris consideratione, confici posset.

Sed redibimus ad linguam verè Latinam, in qua satis eru-

erudito satisque copioso Lexico nos destitui, non sine pudore quodam recordamur. At in vulgaribus linguis, quam est eximium *Lexicon Italicum*, quod *Societas* siue *Academia de la Crusca* opere maiori, & epitomico minori, edidit? Bene, quod sociatis laboribus res gesta est. rarissimus enim quisque omnem vitam vnus velit impendere labori omnium grauissimo; de quo non elegans magis quam verum *Iosephi Scaligeri* epigramma habetur:

*Si quem dura manet sententia iudicis olim,
Dammatum arumnis suppliciu que caput:
Hunc non fabrili lassent ergastula massa,
Nec rigidas vexent fossa metalla manus:
Lexica contexat. nam cetera quid moror? omnes
Ponarum facies hic labor vnus habet.*

Qui hæc studia tantum nominatenus norunt, putauerint forte, præter laboris arduam operam, nihil ingenii requiri. Hi *Pollucem* audiant, vnum ex omnibus antiquis, qui supersunt, accuratissimum Lexici auctorem. Requirit ille ἀκριβείαν τινὰ ἐν τῷ λόγῳ, σὺν βασιλεῦσι νοσίων, singularem ingenii sollicitiam, ad examinandi iudicium adhibendam: conqueriturque, se neminem potuisse σὺν ἐργῶν socium operis nancisci, cui posset satis considerare. Adiutores tamen hodie adhiberi posse, vel mediocri iudicio præditos, palam est; qui e.g. in auctores vocum inquirant, qui ex philologicis doctissimorum virorum etiam iuniorum, vt *Scaligeri*, *Casauboni*, *Salmasii*, & aliorum curis, veluti syluam eruditæ explicationis verborum colligant; & qua postea is qui præest operi, suo ingenio iudicioque eligat, digerat, adornet, quæ structuræ consummandæ sunt. Grauiora sibi sumat, id quod exemplo clarius fiet. Quæ in *Asconio*, *Donato*, *Seruo*, *A. Gellio*, exquisitiora & subtiliora habentur plurima, ad Lexici Latini vsu nemo adhuc satis diligenter, satisque erudite ac cum iudicio transtulit.

Fatetur autem *Pollux*, cum de *Gorgiæ Sophistæ Lexico* prof. lib. 3. loquitur, se ab imitio, talibus titulis auditu, rem puerilem, & conatu facilem putasse; experiendo autem postea didicisse, nihil contemnibile in eo labo-

so labore, vtilitatem vero prorsus commendatione dignam esse. Si modo fiat, quod iterum requirit, vt erudita manus huic operi ad-
moueat. ita enim futuram, vt, quod in vocabulorum congerie natu-
raliter inest tedium, dispositionis arte, & ordine structuraque venusta-
tem adipiscatur: *ἀς μὴ δὲ ἐν δῶτῳ τῷ ἡνωθέντι ἔσονται μὲν, τῷ τὸ μέ-
λον ἀξίως ποθεῖν, vt nemo lectis potius fatigari, quàm sequentiam deside-
rio se incitari sentiat.* Id, sicut in Pollucis Lexico mihi semper
vfu venisse ingenue fateor: ita tumultuaria & rudis Lexi-
cographorum Latinorum Scriptura, non potest non ciere
nauseam homini aliquè disciplinæ melioris gustum habenti,
ita vt malit maioris laboris subsidia circumspicere
quàm his non bene paratis vti. *ἢ ταῦτα.*

μὴ δὲ ταῦτα.

COROL

COROLLARIA

I.

Aegyptii genethliacam disciplinam
ita tradiderunt, vt Cœlo & stellis sua nu-
mina attribuerent, quæ earum influxu e-
uocata agerent. Ex tali diuisione Cœli,
creditaque in singulis partibus numinum
præsentia, ab Aegyptiis, ad ceteras gentes
stulta inuadit opinio, *Deorum operationes,*
stellarum configuratione & positura ad ho-
mines defluere ac dimanare. Ob hanc ido-
lolatricam superstitionem prisca Ecclesiæ
Doctores, Astrologiam iudiciariam in ipsis
Ethnicis vt flagitiosam increpabant, &
Christianos inde merito dehortabantur.

II.

Quæ de Socratis genio traduntur, fa-
bulæ sunt.

III.

Bruti malus genius, quem ante præ-
lium Philippense narratur vidisse, nihil veri
videtur habere.

IV. Ex-

IV.

Experientia certa de auguriis & somniis apud paganos, non habetur.

V.

Distinctio Dominiorum est iuris naturalis.

VI.

Distinctio, inter *formam Reipublica seu Statum*, & *modum administrandi*, est Aristotelica, vera, & in plurimis ciuitatibus præsentem & obuiam applicationem habet.

F I N I S.



Dum Labersumi cathedram conscendis, abunde
In specie qua sint Lexica Græca, doces.
Quos acquisisti monstras simul atque profectus,
Tempore per parvo sedulitate Tuâ.
Perge ita vince omnem miles virtute laborem
Sicce feres studitis præmia digna Tuis.

festinanter amicâ volebat manu

Joh. Henricus Zinck, Spirens.

MATHIAS LABERSVM,

ἀμαρ. line aspirata.

Musas liber amat.

Liber patenti cornipes arca
Freno remisso præcipitat gradus,
Gaudetque prævenisse cursu.
Ocyor Æolio furore,
Sic est: habenis vinculo & aspero
Spernit teneri mens genitorios,
At impetu in campos honoris
Liberâ proruit acriori.
Hos in ruendo, pervigil exprimis,
Quæ masculi sit pectoris indoles,
Musas amas liber, fovesque
Aoniis redamate Divis.

Hoc amicitia pignus supponit amico suo

Johan. Andreas Ehrmann, LL. Stud.

Srecht Herr Labersum/ so werd Ihr hoch gehalten/
So wird Euch ewer Lob nun nimmermehr erkalten.
So wird nun kommen bald/ vnd geben Euch den Lohn/
Themis auff Ewer Haupt/ der Jugend Ehren-Krohn.
Eylfertigst vberreicht dieses seinem geehrten
vnd sehr werthen Brüderlichen Freund
Daniel Höschel/ von Augspurg.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs, separated by horizontal lines. Some words are faintly visible, such as "Anno" and "MDC" (1600).

feliciffi
Parimur
N. J. A. C.
S. THEO.
ESSORE
In Flore
JOH
Typo calic

